

The Electronic *Manipulus florum*  
[www.manipulusflorum.com](http://www.manipulusflorum.com)

Clericus 1  
cum fonte primo

Vnde clericis exuberare estimas  
rerum affluenciam, uestium splendorem,  
mensarum luxuriem, congeriem uasorum  
argenteorum et aureorum, nisi de bonis ecclesie?  
Inde est quod illa pauper et inops et nuda  
relinquitur facie miseranda, inculta, hyspida;

propter quod non est hodie ecclesiam ornare  
sed spoliare, non est custodire sed perdere,  
non est defendere sed exponere,  
non est instruere sed prostituere;  
non est pascere gregem sed mactare et deuorare,  
dicente Domino de illis:  
qui deuorant plebem meam sicut escam panis.

Bernardus super Cantica sermone LXXVIII.

Unde vero hanc illis exuberare existimas  
rerum affluentiam, vestium splendorem,  
mensuram luxuriem, congeriem vasorum  
argenteorum et aureorum, nisi de bonis sponsae?  
Inde est quod illa pauper et inops et nuda  
relinquitur, facie miseranda, inculta, hispida,  
exsangui.

Propter hoc non est hoc tempore ornare sponsam,  
sed spoliare; non est custodire, sed perdere;  
non est defendere, sed exponere;  
non est instruere, sed prostituere;  
non est pascere gregem, sed mactare et devorare,  
dicente de illis Domino:  
QUI DEVORANT PLEBEM MEAM UT CIBUM PANIS  
(Psa. 13:4), et:  
QUIA COMEDERUNT IACOB ET LOCUM EIUS  
DESOLAVERUNT (Psa. 78:7), et in alio Propheta:  
PECCATA POPULI MEI COMEDENT (Os. 4:8),  
quasi dicat: «Peccatorum pretia exigunt,  
et peccantibus debitam sollicitudinem  
non impendunt».

Bernardus Claraeuallensis, *Sermones super*  
*Cantica canticorum*, 77.1 (SBO 2, J. Leclercq,  
C.H. Talbot, H.M. Rochais eds., p.262, ll.4-14).